

# **Dissertatio medica inauguralis, de dyspepsia / [John Foreman].**

## **Contributors**

Foreman, John, M.D.  
University of Edinburgh.

## **Publication/Creation**

Edinburgi : C. Stewart, 1800.

## **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/x6p9z5qf>

## **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

22918/p

---

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

D Y S P E P S I A.

---

DISSERTATIO MEDICA

IN ANATOMIA

DYSPEPSIA.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

*DYSPEPSIA.*

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, S.S.T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu,

Et Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

**Pro Gradu Doctoris,**

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

---

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES FOREMAN,

*BRITANNUS,*

---

Ad diem 24 Junii, hora locoque solitis.

---

---

EDINBURGI:

---

EXCUDEBANT C. STEWART ET SOCIJ, ACADEMIÆ TYPOGRAPHI.

1800.







GEORGIO HOME, ARMIGERO,

DE PAXTON,

HOCCE TENTAMEN INAUGURALE,

SACRUM VULT

JOANNES FOREMAN.

Cui potissimum, ex amicorum numero, hæc studiorum primitias, consuetudini morigerans, dicarem, mecum reputanti, diuque hærenti ; nemo te, Vir Optime, a quo tot in me, et tam benevole, collata sunt beneficia, dignior visus est quem hujusmodi amicitiae testimonio ornarem. Accipias, igitur, hocce meæ erga te observantiae pignus, qualecunque est, minus necessitudini, quæ inter nos existit, quam animi dotibus virtutibusque, quibus insignis es, debitum ; bonique facias, obsecro—

Vale.





DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

*DYSPEPSIA.*

---

---

JOANNE FOREMAN, AUCTORE.

---

---

**C**UM alma Academia Edinburgena lege  
fanxit, ne quis, nisi opusculo de re me-  
dicâ conscripto, ad Doctoris gradum evehatur ;  
pauca igitur, illum honorem jam ambiens, de  
cruditate, quippe malo frequente atque mo-  
lesto, conscribere statui.

Ventriculo non solum ob nervos, quos a

A

pari



pari vago, octavo, et intercostalibus accipit, sed etiam ob munus insignè, quo fungitur, magnum cum reliquo corpore consortium est; hinc ratio quodammodo reddi potest, quare res in ventriculum receptæ partes corporis etiam remotissimas non raro afficiunt; quare, languido ventriculo, omnia languent; et denique, cur, corpore affecto, ventriculi functiones turbantur.

Machinæ humanæ partes, omnium instar, variis vitæ functionibus perpetuò atteruntur; detrimentum igitur cibo idoneo, qui in naturam nostram mutatur, sine fine reficiatur, necesse est. Hæc cibi mutatio ventriculo præcipuè absolvitur; ubi ritè perficitur, concoctio, ubi verò malè, cruditas, seu *dyspepsia*, apud medicos audit. Hæc a CULLENO sic definitur:

“ Anorexia, nausea, vomitus, inflatio, ructus,  
“ ruminatio, cardialgia, gastrodynia; pauciora  
“ faltem

“ faltem vel plura horum fimul concurrentia,  
“ plerumque cum alvo astrictâ, et sine alio,  
“ vel ventriculi ipsius, vel aliarum partium  
“ morbo \*.”

Cùm nulla autem definitio, quamlibet accurata, cuncta morbi phænomena complecti potest, eadem mali historiam tradendo fusiùs narrentur oportet.

---

### HISTORIA.

CRUDITATIS indicia adeo varia in variis exemplis existunt, ut nulla certa eorum concurrentio, ordo, aut numerus tradi possit; frequentiora igitur et insigniora tantum enumerabimus.

A 2

Malo

\* Synop. Nosol. Method. T. II. gen. XLV.



Malo ineunte, vel non multum provecto, ponderis et molestiae sensus praecipue post pastum in cordis scrobiculo percipitur; et interdum stomachi calor, cum materiei plerumque acidæ, modò verò insipidæ, adest. Cibi appetentia paulatim minuitur, quod inter jentandum praecipue sentitur; animus demissus est; et cibi assumpti pars sapore vario, plerumque acido, modò amaro, modò rancido, aut etiam putrido, in os evocatur. Nec defunt a ventriculo laborantes, quibus cibi, animalium ruminantium instar, e ventriculo in fauces non raro rejicitur. Aliæ quoque, præter ventriculum, partes afficiuntur; totum enim corpus ventriculi valetudinis particeps fit; caput sæpe dolet, cor et arteriæ debiliùs micant; illudque interdum palpitat; corporis extrema frigescent; labra solitum ruborem amittunt; lassitudo et languor a quovis fere nisu sentiuntur; abdomen non rarò aëre distenditur, qui modò supra, modò infra erumpit; ventrisque profluvies



fluvies, quæ signa sæpe levat, interdum supervenit; somnus fit difficilis, et si miser fatigatus obdormiverit, horrificis insomniis turbatur; anima malè olet; lingua aret, et crustâ viscidâ obducitur; mens ipsa, in consortium rapta, solitis studiis curam intendere nequit. Progrediente malo omnia hæc signa in deterius mutantur, et nova succrescunt: nausea et vomitus frequentiores fiunt, ciborum appetentia usque eò minuitur, ut vel conspectus eorum fastidium ferat; ventriculus dolore obtuso et ferè perpetuo angitur, nec nisi admodum parvum cibi modum retinere potest; minima frigoris calorisque vicissitudo statim sentitur; dolor capitis fit sævior; spirandi difficultas, aurium tinnitus et vertigo urgent; cor frequentiùs jam palpitat; artuum inferiorum, præsertim pedum, frigus sæpe percipitur; tussis aliaque signa quæ hepatitidem vetustam mentiuntur, et accessiones, putà meridianæ et vespertinæ, superveniunt;

ventriculi

ventriculi mobilitas adeo intenditur, ut assumpta non rarò statim rejiciantur; et diarrhœa sæpius jam, præ auctâ intestinorum mobilitate, exoritur; saliva ob glandularum laxitatem solito uberiùs manat; urina modò solito coloratior, modò verò limpida et copiosius redditur.

Huic malorum catervæ urgenti magna corporis macies, mobilitas, atque debilitas, se comites jungunt; muscoli solito molliores fiunt; motus fastidium gravius fit, corporis enim exercitatio etiam levis, magnam defatigationem, spirandi difficultatem, et interdum animi etiam deliquii signa efficere solet.

Æger non rarò summo languore, mœstitiâ, et metu, ex levissimis, aut etiam nullis, præter istas, quas præstigiatrix imaginatio creaverit, causis afficitur; animus plus quàm cuiquam inexperto demittitur; facies tristis, pallida, et  
collapsa



collapſa verus animi index exiſtit ; æger omni ſalutis ſpe abjectâ, ægritudinem ſuam ultra modum exauget ; mala haud exiſtentia fingit ; infauſtumque eorum eventum prædicat ; et ſiquis valetudinem imaginationis fallacis prolem eſſe dicat, ira exæſtuat ; priſtinam hilaritatem morumque ſuavitatem amittit ; memoria denique et iudicium uſque eò minuuntur, ut æger ſibi ipſi necem interdum conſciſcat.

Jamque præcipua tradidimus ſigna, quæ malum naſcens, progrediens, et inveteratum comitantur ; omnia autem indicia recenſita rarò eundem ægrum torquent ; raròque ſtabili aut fixo ordine ſibi ſuccedunt ; curſum ſuum ſenſim abſolvunt ; et perrarò ad ſummam inveterationem perveniunt. Non deſunt quidem exempla, in quibus paucae tantum ex notis mali enumeratis per totum vitæ curſum, generali ægrorum ſanitate parum affectâ, adfuerunt. Malo autem ſummam inveterationem



nem adepto, viscerum tumores, hydrops, febris *hectica*, alvi proluvies, aut lenta valetudo qua tanquam ideo carpitur, ægri vitam tandem extinguunt.

---

### CAUSÆ REMOTÆ.

IN duo capita a CULLENO distribuuntur : *Imo*, quæ in ventriculum recipiuntur ; *2do*, quæ alias partes corporis primò afficiunt, indeque vim suam in ventriculum diffundunt.

Primo capiti accenferi debent opium, liquores meraciores, nicotiana, thea, coffea, diæta nimis parca, ingluvies, animi affectus, vita sedentaria, venus, aer humidus et frigidus, studium nimium, vigiliæ, quibus addi potest vomitio frequens.

De harum caufarum operandi modo alii aliter cenfent ; eas autem toti corpori, et præfertim ventriculo, debilitatem inferre inter omnes convenit ; quo factò, humoris illius peculiaris, qui fuccus gastricus audit, et princeps concoctionis caufa exiftit, fecretio neceffario minuitur, vel etiam corrumpitur. Opii ufus ventriculo admodum nocet ; quamvis enim cordis et arteriarum actionem initio augeat, et animum, vini inftar, excitet, miram tamen debilitatem tandem efficit. Liquores meraci eundem ferè effectum præftant ; jecur autem præcipue lædunt ; hoc enim vini fpiritum potantibus non rarò tumet et induratur. Nicotiana in fystema nervofum præcipue agere videtur, falivæ fecretionem infigliter auget ; hinc humor ifte concoctioni fanæ adeo neceffarius damnofe expuitur. Thea copiofius affumpta ventriculo eodem ferè modo, quo opium, nocet ; porro calor ejus, fibras mufculofas laxando, ad effectum nonnihil conferre videtur ; cæterarum



et MONRO, experimentis ingeniosis veram causam invenerunt. Hic, anno 1764, frustra ossis femoris ovilli accuratè ponderata et dein ossæ carnis inclusa cani devoranda dedit: ossa minora, ventriculi vires per viginti horas passâ, penitus soluta erant; majora, magnam ponderis sui partem amisisse inventum fuit; hinc Professor humorem peculiarem, qui non solum carnes, sed ossa etiam solvendi vi pollet, ventriculo secerni jure collegit. Alii philosophi, Stephens hujus academîæ alumnus, et Spallanzani, anno 1777, exinde hanc physiologiæ partem non sine laude excultam haud parum auxerunt.

Hunc liquorem præcipuam concoctionis causam esse; inter omnes fere medicos jam constat; elementa verò quibus constat, chymia nondum detexit: Dr Stephens et Spallanzani eum cibos etiam extra ventriculum dissolvere, et fermentationi ac putredini insigniter



insigniter obstare, experimentis sæpe iteratis invenerunt. Aliæ quidem sunt concoctionis causæ adjuvantes, sed remotæ; quales sunt escarum confectio, calor, saliva, aër unâ cum cibis glutitus, et agitatio, quæ omnia cibos in ventriculo cum succo gastrico commiscendo, et particulas ejus eidem proximando, præcipue agere videntur.

Causæ dyspepsiæ remotæ hoc, ut ex iis quæ supra diximus, patet, commune habent, quod omnes, totum corpus, et præsertim ventriculum infirmando, agant: Ventriculus, igitur, præ debilitate cibos assumptos rejiciet, aut saltem rejicere molietur: hinc nausea et vomitus, signa mali frequentia. Ob eandem causam, nimirum debilitatem, succus gastricus solitâ copiâ non fecernitur, etiamque modus quo fecernitur, corrumpitur. Inde cibi in ventriculum recepti in fermentationem ruunt; acidum carbonicum gignitur, hinc ventriculi inflatio, ructus,

ructus, ruminatio : gastrodynia ex ventriculi spasminis a debilitate pendentibus, et gastrodynia ex acore generato, aut succi gastrici naturâ mutatâ, exoriantur. Alvi pigritia eisdem debilitati intestina afficienti tribuenda. Vertigo, tinnitus aurium, capitis dolor, mœstitia, et metus, ex consortio quod ventriculo cum cerebro est ; tussisque, spirandi difficultas, singultus et palpitatio, ex nexu quæ eidem organo cum pulmone intercedit, maxima ex parte pendere videntur.

---

### DIAGNOSIS.

DYSPEPSIÆ indicia aliorum morborum comites sæpe existunt ; cumque, non nisi malo primario sublato, sanari nequeant, notæ, quibus dyspepsia *sympathica* et *idiopathica* internoscantur, tradantur



tradantur necesse est. Affectiones quibus dyspepsia confundi periclitatur, sunt *scirrhus pylori*, *hepatitis vetusta*, *podagra atonica* et *amenorrhœa*.

*Scirrhus pylori* dyspepsiæ indicîis semper stipatur; in illo autem cibus multo magis imperfectus est, et certo ac definito tempore, duabus plerumque aut tribus horis post paſtum elapſis, rejicitur. Porro vomitus est multò frequentior; magnus ventriculi ardor, cum ructu acido, gravisque pylori dolor, preſſu auctus, et tumor sæpe ſentiuntur; et tandem macies inſignis, febris hectica, ſuperveniunt; materiaque nigricans aut ſanguinea, vel pus aut fanies ſupra infrave rejicitur; quæ res admodum diverſæ ſunt in dyspepsia idiopathica. Denique pylorus rarò afficitur ſcirrho, quin duodenum quòque eâdem affectione plùs minùs afficitur.

*Hepatitis vetusta* dyspepsiæ notas ſæpiſſime  
comites

comites habet : et contra hæc illam adeo interdum simulat, ut medici etiam in rerum usu versati in errorem interdum incidant, et hydrargyrum non sine gravi ægri damno dent : hepaticis autem dolor partium scrobiculo cordis vicinarum, epigastrii, et hypochondriorum dextrorum pressu sentitur. Calor auctus, artiarum ictus præter consuetudinem celeres, aliaque febriculæ signa, sub noctem præsertim invadunt. Jecoris tumor non rarò percipi potest ; vultûs species admodum peculiaris est ; color est subflavus, oculi habescunt ; et palpebræ inferiores circulo flavido tinguntur, denique si medicus de mali naturâ anceps hæreat ; inquirendum est num æger in regionibus calidis peregrinatus fuerit, an proculis indulgeat. Si medicus his rebus curam intendat, rarò in errorem incidet.

*Podagra atonica* animum ad sequentia advertendo cognosci potest : si æger parentibus  
podagricis



podagricis oriundus sit, annum trigesimum quintum circiter agat, si dyspepsiæ notæ subito accedant et recedant, si pedes antea podagrosi fuerint, dubitari non potest, quin podagra malorum, quibus angitur, causa existet.

*Amenorrhœa* dyspepsiæ indiciis sæpe stipatur; si autem menses solito fluxûs tempore non apparent, cæteræque chloroseos notæ adfint, vel si in adultis mensium suppressio ventriculi affectionem prægreditur, cruditatis origo erit manifesta.

---

### PROGNOSIS.

DYSPEPSIA rarò quidem funesta est, præsertim si æger sit juvenis, et morbus non diutius

C

perstiterit,

perstiterit, et causis remotis sedulo occurratur; fin autem morbus, ob idoneam medendi rationem neglectam, longiùs progressus fuerit, ægerque ætate provectior sit, spes erit in angusto; nam viscerum tumores, et hydrops, eorum effectus, ventris proluvies, *febris hectica*, aliave lenta valetudo vitæ finem tandem imponunt.

---

### RATIO MEDENDI.

IN tria consilia a CULLENO dividitur:

1<sup>mo</sup>, Causarum occasionalium evitationem.

2<sup>do</sup>, Signorum graviorum curationem.

3<sup>tio</sup>, Ventriculi virium refectionem.

Princeps



Princeps quidem curæ pars in causis remotis evitandis consistit : si hoc negligatur, medicina frustra datur.

Quoad secundum consilium, signa præcipua, quæ morbum graviores reddunt, sunt anorexia, nausea, vomitus, cardialgia, gastrodynia, et alvi pigritia. *Anorexia* et *nausea* cibo crudo, cui ventriculus propter infirmitatem et succi gastrici inopiam dissolvendo est impar, excitantur. Hinc CULLENUS ac plerique medici vomitoria ad cibum crudeum evacuandum dare solebant ; nec dubitari potest, quin illa molesta signa vomitione in tempus mitigentur : cum autem vomitio, præsertim sæpius iterata, ventriculi vires non parum convellit, vomitoria caute dari debent. Quoties verò idonea videantur, mitiora, qualia sunt infusio chamæmeli, sinapis, aut vinum, ipecacuanhæ, anteponantur. Omnia autem vomitionis commoda, nullaque ex ejus incommodis leniorum cathar-

ticorum usu parari possunt. Magnesia, rheum, aloe, fenna, et parata ex eisdem, optimè respondebunt.

*Vomitus* aqua menthæ, haustu effervescente, et opio componi potest : Si molestum hoc signum diu persistit, et ventriculus præ mobilitate medicamenta assumpta rejiciat ; opium, formâ enematis aut cataplasomatis cordis scrobiculo admoti, expectationem rarò fallit.

*Gastrodynia* medicamentis, quæ carminativa audiunt, oleo puta menthæ, et anisi ; certiùs autem, et multo citiùs, antispasmodicis, opio, nimirum, et ætheri sulphurico cedit : fin minus, fomentis calidis cordis scrobiculo admotis tolli potest.

*Cardialgia*, acoris ventriculi effectus, est signum admodum molestum. Acor medicamentis, quæ *antacida* vocantur, salibus scilicet alkalinis



kalinis, et terris absorbentibus, et præcipue diætæ in acorem proclivis evitatione, corrigi potest. Antacidorum optima sunt magnesia et creta, et præsertim præparata quædam ex iis, magnesia puta usta, et potio cretacea; hæc, alvo laxa, illa vero eâdem compressâ, dari debet. Diluentia quoque, et etiam demulcentia acoris vim minuunt et reprimunt.

*Alvi pigritia* medicamentis catharticis mitioribus, et præsertim magnesiâ, rheo, et aloe, et diætâ idoneâ tollitur.

Cibus concoctu facilis et minimè in fermentationem proclivis, in omni dyspepsiæ exemplo adhibeatur, necesse est: fruges igitur, quippe fermentationi et acori aptiores, qui a ventriculo laborant, parum idoneæ sunt. Carnes albidæ, quales habent aves quædam, et pisces facilius plerumque concoquuntur: juniorum  
animalium

animalium carnes difficilius quam vitulorum solvi dicuntur. Carnem bubulam Celsus præscripsit: quæ fumo indurantur, aut muriâ condiuntur et indurantur, ea ægriùs ventriculi viribus subiguntur. Quæ multum olei habent difficillimè dissolvi possunt: juscula haud æque facile ac solida digeruntur. Nullæ autem de re diateticâ regulæ omnibus ægris accommodatæ tradi possunt: aliis enim alia esculenta congruunt. Porro concoctio a modo, quo cibus assumitur, haud parum pendet; cibus modicus solito frequentius assumptus plus prodest, quam nimius simul et rariùs datus. Potus in plerisque exemplis mera aqua esse debet; qui autem potionibus meracioribus diu affueti fuerint, his vini Lusitani aut Madeirensis pauxillum, multa aqua dilutum, concedatur: interdum parva vini Gallici aut sacchari Jamaicensis quantitas, ea est debilitas ventriculi, et omnium quæ fumuntur in fermentationem



mentationem proclivitas, eodem modo diluta necessaria fit.

Tertium confilium, totius nimirum corporis et præcipue ventriculi virium resectio, remediis roborantibus absolvitur. Horum autem præcipua sunt exercitatio, frigidarium, cinchonæ officinalis cortex, ferrum, columbæ radix, gentiana, chamæmelum, et diæta idonea, de quâ supra egimus. Exercitatio autem his omnibus longè præstat: cætera quidem pro exercitationis auxiliis tantum haberi debent.

Exercitationis operandi modus facile intelligitur: omnes muscoli in actionem cientur, et venas comprimendo sanguinis cursus festinatur, majorque aëris vitalis copia in pulmonem receptus vitæ flammam alit: unde omnes secretiones ac excretiones augentur; animus fit hilaris et fortis, major succi gastrici copia fecernitur,

cernitur, sic ventriculi vires restaurantur. Cura autem adhibeatur, ut exercitatio ad ægri vires accommodetur, et citra defatigationem fit.

Plures sunt exercitationis species; ambulatio, si vires non multum franguntur, cæteris plerumque anteponenda est: si ea autem sit debilitas, ut ambulatio ferri nequeat, gestatio, et præsertim equitatio, quippe quâ corpus propriis viribus exercetur, optime plerumque respondebit. Gestatio in rheda quorundam ægrorum viribus accomodatior erit: his corporis frictio suppetias haud contemnendas feret. Animus denique, quo mœstitia et metus, quæ mali curationi insigniter obstant, avertantur, studiis et negotiis levioribus, hilaritate, lusu, et peregrinatione, si res finant, exerceatur.

Frigidarium proximum exercitationi locum  
tenet:



tenet : corpus insigniter roborat, modò ritè adhibeatur. Cavendum est autem ne frigus nimium fit, aut æger in aqua diutiùs maneat ; si nimium enim fuerit, vel nimis diu adhibitum, corpus mirum in modum infirmit, et non raro tremores, et interdum paralyfin et mortem, demum inducit. Nullus verò frigoris gradus definiri potest, qui omnibus ægris aptus sit ; ægri autem monendi sunt id frigus non esse nimium, neque diutius continuatum, quod brevis tantum artuum tremor, et brevi rubor, calor et humor, aut cutis saltem molities, et musculorum vigor, et bona ciborum appetentia, et animi hilaritas, excipiunt ; contrà eum frigoris gradum esse nimium, quem magnus et diuturnus tremor, vultûs pallor, artuum debilitas, animus demissus, et nulla cibi appetentia subsequuntur.

Verisimile est frigidarium prodesse, aliquâ

D

saltem

saltem ex parte, per stimulum validum quem subitus in aquam gelidam descensus toti corpori impertit : lavatio igitur frigida ei maxime profutura videtur, qui parum diu in aqua manet, neque in ea natat, sed semel tantum se in eam præcipitem dat, idque, prout vires ferant, repetit.

Cinchona officinalis omnium forsan roborantium, quæ ex frugibus derivantur, optimum est : pulveris, infusi, extractive forma, prout ægro arrideat, administrari potest. Inter amara, colomba et gentianæ radices anteponenda videntur: Professor HOPE extractum chamæmeli florum cum ferro vitriolato conjunctum pro remedio efficaci habet. Alia quidem remedia, acidum, scilicet, sulphuricum dilutum, et gas oxygenium, haud parum commendantur ; illud quidem subinde datum sæpe prodest ; hoc quoque, quippe quod animum



mum exhilarat, et calorem gratum per univ-  
fum corpus diffundit, et arteriarum pulsus  
validiores et frequentiores reddit, insignem  
interdum ægritudinis levationem peperit.  
Scintillæ denique electricæ e cordis scrobi-  
culo elicita, ventriculi actionem ciendo inter-  
dum profuerunt.



---


---

EXCUDEBANT C. STEWART ET SOCIJ,  
ACADEMIÆ TYPOGRAPHI.

---

---

non est illud, et caloratum per unum  
 aut corpus, et illud, et caloratum per unum  
 velut et illud, et caloratum per unum  
 velut et illud, et caloratum per unum  
 velut et illud, et caloratum per unum  
 velut et illud, et caloratum per unum



UNIVERSITY OF CHICAGO  
 LIBRARY